Oslinski Martinus

Szymakowski Petri Alexandri: Gemma Doctorum Perillustris et Vir D. M. Martinus Oslinski

GEMMA DOCTORUM,

Perillustris olim Clarissimus & Admodũ Reverendus Dominus,

D. M. MARTINUS OSLINSKI,

Sacræ Theologiæ Doctor & Professor, Collega Major, Ecclesiarum; Collegiatæ Cracov: S. ANNÆ Decanus, Parochialium, Prosovicensis Præpositus, Zielonecensis Curatus, Scholarum Novodvorscianarum, & Contubernij Hierosolymitani Provisor Dignissimus,

Ob Virtutis, eruditionis, & meritorum pretium,

Annulô Æternitatis

INSERTA;

Et dum Ejus mortales Exuviæ, summo Ordinum Academicorum dolore, In Ecclesia Collegiata

DIVÆ ANNÆ

tumularentur.

Ad perennem Tanti Viri memoriam venturæ Posteritati,

Clientali Calamo,

M. PETRI ALEXANDRI SZYMAKOWSKI, Philosophiæ Doctoris & Professoris, Collegæ Minoris, Contubernij Hierosolymitani Senioris,

APPRETIATA.

Anno, quô Gemma Deitatis conchâ naturæ humanæ assumpsit, 1720. *Die* 28. *Mensis Junij.*

CRACOVIÆ, Typis Francisci Cezary, S. R. M. Celsissimi Principis, Illustrissimi & Rndissimi Dñi Episcopi Cracov: Ducis Severiæ; necnon Scholarũ Novodv. Typogr.

GEMMA DOCTORUM
Annulô Æternitatis
INSERTA.

Proh obſtupeſcite Mortales!
Quò tandem ſuam Mors extendit orexim!
Mordet omnia dente ſuo,
nec minimè ſatiatur.
Itane ô peſsima prædatrix inſatiabilis es!
Nec prece, nec pretiô comprimenda.
GEMMÆ SAPIENTUM,
Cum ſuo Hydaſpe Tibi ſitim accendunt.
Orexim ad Majora deſideria exacuunt,
O admirandum ſpectaculum!
Quondam ingens, ſine fundo Vrbis Romanæ,
vorago terrifico patentiſſima ore.
Vno armato Curtio abſumpto, ſatiata.
Crudeliſsima, ſupra genus crudelitatis Mors,
Orbem Literarium, auſu nefario ingreſsa,
Sapientibus inhiat Viris.
Crebris funeribus irritatur, non expletur.
Doctis calamis accerſitur, non proſcribitur.
Frondibûs Doctoralibûs minimè terretur.

Ipſa

Ipſa illi video abundantia nocet.
Ipſa copia inopem facit.
Ampliſsima ſpolia, faciunt eam omnibus ſpoliatã.
Innumera DOCTORVM & pretioſa rapiens Cymmelia,
Nihil ſuam in partem numerare videtur;
Adeò, ut continuô ardeat deſideriô.
Denſa illi funera cedunt in prædam,
Nec tamen venari doctas animas deſinit.
Quò pingviores ſuum in rogum ducit victimas,
eò vel maximè tenuior extat.
Nihil jam reperitur tale,
Quod libitum, poſsit ſedare Libitinæ.
GEMMAS Eruditorum Capitũ,
Ex vaſtiſsimo Literarũ Pelago continuò furatur,
Attamen ſub inopia gemit.
Mirari deſino,
Docti nunquam ſolent cedere morti.
A viris Muſarum ſacratis Choro,
Nulla funeſtior Libitinæ plaga.
Fremit invida Atropos, quòd totos non tollat Sapientes,
Quæ nullam eorum partem tollit.
Illi procertò moriuntur, qui tantũ ſibi oriuntur.
Non qui Diviniorem Enthéum ſpirant.
Illi uniones debentur morti,
Qui pretiô vanô, & ſplendore fucato, corruſcant;
Ad mortale attriti ſaxum, ſtatim evaneſcunt.
Vix concham mortalitatis deſerunt,
Ab omni poſthuma memoria deſeruntur.
GEMMÆ VIRORUM,
In Pactolo Sapientiæ enutritæ,

Ad Letheas minimè ſpectant undas.
A virtute Sapientia ducunt valorem,
diminui nullatenus queunt.
Cleanteo illuminatæ Lychno,
Mortiferas procul propulſant umbras,
Forti Literatorum ſtipatæ ſatellitiô,
prædatricem non timent Libitinam.
Ex Conchylio vitæ temporalis motas,
Semper Archivum Cœleſte avidiſsimè poſcit.
Te hujusmodi
DOCTORUM GEMMAM,
Probitate æſtimatiſsimã, cãdore vitæ intaminatã,
Sapientiâ, virtutibûs, meritîsq; magnis pretioſam;
Perilluſtris olim Clariſsime, & Admodùm Reverende Domine,
D. M. MARTINE
OSLINSKI,
Sacræ Theologiæ Doctor & Profeſsor,
Collega Major, Eccleſiæ Colleg.
S. ANNÆ Crac. Decane, &c.
Nunc Cœlo ipſi Literarius invidet Orbis,
Cui ingens pretium fuiſti,
Gemmeaq; efficiebas momenta.
Dediſti documentum Orbi,
Non ab Erythræo tantùm mari, uniones prodire.
Tuæ nempè cunæ natales, & ulterior vitæ tractus,
Te gemmeum monſtraverunt Virum.
Urbs Metropolis Cracovia,
Domicilium Sanctorum, Magnorũ altrix virorũ,

MARTINO natale fuit.
GEMMA DOCTORUM,
Naſci & noſci debuit ad Coronas.
Diademata quippe parvum habent pretium,
ſine unionibus.
Non unius Climatis, hæc Gemma fuit delicium.
Cracoviæ nata, cujus ſit pretij ut videret Orbis,
in ſubmontana translata.
Fit enim carior gemma procul cunabulis.
Arcana rei evolve calame!
DEUS diſponit, Patruus perſvadet,
ut Gemma MARTINUS in Kęty lateat.
Latuit ille in juvenili ætate,
Sed qualis poſthac futurus eſſet, patuit.
Ibi Literarum & pietatis ſumpſit exordia:
Vbi Literarum Decus,
Lechiæ totius, Scholæq; ejus Patronus,
Divinifsimus
JOANNES CANTIUS,
ſuxit Principia Sanctitatis.
Quantùm in Patruo, ſui Patriarchæ ſolo,
profecit in Literis OSLINSCIUS;
Narrent, qui non *à limine tantùm ſalutarunt Muſas.*
Aurora ætatis bonum omen dedit,
Quantus in meridie ſperandus erat.
Linquit tandem Patrui ſui limina,
inſigniori pretio accumulandus.
Poſt Patruos, Patrios repetit lares,

imò majori cum desiderio,
Academicos mavult Postes, quàm domesticos Penates.
Fausto passu Lechicas ingreditur Athenas:
limpidissimo scientiarum Fonti sese committit,
Doctîs laticibûs fovendus ut GEMMA,
Ad publicum Studiorum solem appretiandus.
Hîc indefessus Stadiodromus,
Literarum decurrit stadia,
in virtutis & scientiarum perfectionem,
Nunquam segni procedens passu,
Capaci ingenio, illa alacriter discit,
Quæ alij vix mirari possunt.
Discipulus cùm fuerit, Magister potuerat vocari.
Doctrina in omni scibili dulce illi pabulum,
licet alijs nauseam pariat.
Nec annos exspectat ingenium.
liberale Coelum MARTINO,
Cui plus Scientiarum dedit, quàm ille acquisivit.
Pallas Philosophica virtutis præmiatrix,
Cùm hoc videat miratur.
Dignum, emeritũ, ad Laureas mox provocat virũ.
Fulget enim GEMMA clariùs in auro:
Doctus animus, sub viridi Lauro.
Primã in Artibus Liberalibus illi cõfert Coronã,
mox annectit secundam:
ne parca liberali MARTINO videatur.
Sic Laureatus OSLINSCIUS,
semper erudito virescit in certamine.
Vtiq; Vnio dum teritur, rutilat magis.
Labo-

Laborioſam continuò decurrens Sphæram,
neſcit unô circumambiri detineriq; locô.
Leones enim juſta ſpatia poſcunt, ut ſe moveant.
Scientificum cùm ſatis ipſe ad ſapientiam
hauſerit Fontem,
ut alijs eruditionis propinet lymphas,
in Majorem Poloniam diſcedit.
Magnum ingenium, minor ſola non potuit
capere POLONIA.
Macedo hic alium ſibi quæſivit Orbem,
in Poſnanienſi Academo.
Pinui LUBRANSCIANÆ adhæſit,
Vt ex fonte ingenij ſui, daret illi vigorē & virorē.
Vel potiùs illius ſub umbra,
ignorātiæ tenebras, gemmeô propulſaret fulgore.
Mirabatur illa Pars, Lechici potior Regni,
in exigua corporis mole,
Magnas reperiri Qualitates,
probavitq; non eſſe Paradoxum,
in minimis maxima claudi.
Quantus illo ſub Climate fuerit Chiron,
in ſuis Achillibus cognoſci poteſt;
Quos Eccleſiæ in Decus, Patriæ in ſubſidium,
ſolidè & gloriosè erudivit.
Pro alijs ſexcentis commemorare liceat,
Poloni Decus inſigne Orbis,
Illuſtriſsimum olim & Excellentiſsimum Dominum
STANISLAVM KRZYCKI,
Caſtellanum Poſnanienſem,
Virum de Republica Meritiſsimum,

Qui carissimam Prolem suam,
OSLINSCIO commiserat instituendam,
Tantùmq; æstimavit,
Quantùm Aristotelem Philippus.
Post excultam Posnaniensem Coloniam,
Ipse maximus virtutis, & Sapientiæ Cultor:
ad propria redit, gratissimus Hospes.
Hîc tantò gratiori Musarum excipitur Chorô,
quantò tædiosiùs expectabatur.
In Classibus Novodvorscianis
Argonauta constituitur,
Januam altiorum scientiarum subinttat Dialecticam Professor,
Nunquam non visus Dialecticus,
quia nunquam veritatis non Cultor.
Philosophus modum philosophandi docens,
Contuberniū Philosophorū suscipit in regimen,
ne Gemma in mari scientifico,
sinè Concha maneret.
Calamô & ingeniô Magnus,
primò minori, mox Majori inseritur Collegio.
Gradatim enim virtus procedit ad Honores.
Quæ sunt festina, non sunt festiva.
Eminentiori pro meritis constitutus in loco,
eminentiùs laborat.
Cui nihil magis innatum fuerat,
quàm otiô Literariô occupari.
In Philosophicis Cathedris verior Aristoteles.
In Sacris Exedris Divinior Pericles.
Aristotelico-Thomistici Cursûs Professor,
nunquam Stationarius.
In explicando facilis, in difficultatibus resolvendis
Clarus,

Clarus, in probando tam ſolidus, quàm ſubtilis;
Vt Angelici in ſe Idæam Doctoris efformaret.
Logicalibus ſpinis ingenij oppoſuit acumen.
Phyſicis, Sapientem prudentiam rebus.
Separatis in Metaphyſica ſubſtantijs ſubtilitatem.
In omni parte, totam perplexitatem ſuperavit.

Unde meritò Victor,
Decanali induitur Purpurâ,
Quam meruit ter ſuis portare humeris:
Ut omne trinum perfectum in ſe,
ſemper exhiberet,
Non murice tantùm, ſed Sapientiâ Princeps.
Philoſophicum Eurippum,
biennali navigio feliciter emenſus:
Tullianis illabitur fluentis.
Tylicianum Oratorem agens,
Pro publico dum verba facit emolumento,
Romanus putatur redivivus Arpinas.
Quidquid enim dixit, Gemmeum cenſebatur.
Rhetoricos fontes,
fluidiſſimo adauxit ſermone.
Divite facundiâ locupletavit Eloquentiam:
Adeò hanc, Animorum Reginam,
Verborum unionibus adornavit;
ut toties ſuam Majeſtatem ſtuperet:
quoties in publicum prodibat,
Geſta Virorum, Principum,
eruditis Panegyribus celebrando.
Sereniſsimi & Invictiſsimi

moderni felicissimè Regnantis,
POLONIARUM MONARCHÆ,
Sæculis notādā Augustā Cracoviæ Coronationē,
Panegyricâ ubi annotaverit pennâ,
Styli dignitate publicam lætitiam auxit,
eâ svavitate & Excellentiâ Oratoriâ,
quæ tantam decuit Majestatem.
Serenissimi JACOBI
SOBIESKI,
Principis Regij,
ad Nuptiales tædas,
Oratorium accendit lumen.
Tanti Throni Neo-Sponsos,
novit debitâ Apotheosi venerari.
Et cùm tam altè Encomiasta evolavit calamô,
adhuc provolare non remittit.
Illustrissimum olim & Reverendissimum Dominum
CHRISTOPHORUM
in Załuskie & Błędow
ZAŁUSKI,
DEI & Apostolicæ Sedis Gratiâ,
EPISCOPUM PŁOCENSEM,
in Solenni ad Cathedram suam ingressu,
Tullianâ prosequitur svadâ.
Magnum Nomen ILLIVS perennaturis
inscribit fastis.

Summis Principibus ita placuit hic Cyllenius;
Vt apud illos & amorē, & veneratione haberet.
PISCORSCIO, WINKLERIO,
SOWINSCIO, PRACZLEWIO,
multisq; præstantissimis Viris,
Corculum & delicium fuit;
Quos suô calamô Encomiastes celebravit.
Mittit cætera penna,
ne laudare Illum videatur,
Qui maluit laudanda agere, quàm laudari.
Sacrum Præconem tergemina Vavelli Corona,
Vt Gemmam Apostolica functione
radiantem, æstimavit.
In primo certè Prædicamento Prædicatorum
ponendus,
Cùm quidquid dixerit, vitæ suæ exemplis
comprobavit.
Pro virtutis & Divorum Domo Sacer Tullius.
Contra vitiorum monstra fulminator.
In omni sua actione Vir quadratus,
Sacræ Theologiæ renuntiatur DOCTOR.
Doctissimo Theologorum Quaternioni
annumeratur.
In tantam dignitatem meritis evectum,
Non elatum tamen se exhibuit.
Eandem animi constantiam retinens in omnibus.
In Superiores reverentiam, in pares affabilitatem,
in inferiores benignitatē, in Clientes munificētiā,
Sed non sinè quadam, moderati rigoris
admixtione, servabat,
Sed eheu dolendum!
Tertius jam quaternionis Doctor Gemmeus,

Cœlesti inseritur Coronæ.
Quasi magnæ ejus virtuti, jam deesset in terris locus.
Sub Theologica Lauru,
Academicis laboribus fessus,
Quid fuerit quies? nescivit,
Cùm semper laboraret.
Quotidiè suis Lectionibus intentus,
Gemmeus Professor,
Candorem in ore, factis, & pectore servans,
Gemmam se niveam ubiq; probavit.
Lingva ejus mentis interpres,
sincerè & scientificè explicans intùs latentia,
Nescivit, quid sit sensum velare verbis.
Totus Crystallinus, Diaphanus totus,
Supremus Reipublicæ Literariæ Præses,
Sceptrorum & animorum Rector,
Fasces protulit, non secures;
Paterno Regimine suaviter imperando.
Novit optimè, *utiliùs peragere tranquillam, quàm violentam potestatem.*
Erectô animô, illo tempore opus erat,
quo ille Rector fuit.
Nam inter armorum strepitus cuncta jacere visa.
Licentiosa grassantis hostilitatis turba,
etiam Sapientiæ Regnum premebat.
Novit tamen malignantis fortunæ vices,
Personata Intelligentia.
Ab innocuis Musis, Martis temperabat furorem.
Pallium suum visus tunc scindere MARTINUS,
ut Palladianas cohortes in tranquillitate
cooperiret.

Noctes

Noctes insomnes, diesq; inquietos duxit:
Omnibus ut esset tutissima quies.
Argum enim in hoc ipso centoculum egit.
In PROVISOREM
Clasium Novodvorscianarum,
Magno illi Literarum Alcidæ Praczlevio,
Par animi viribus, Hercules ipse succedit.
Palladis enim sub vexillo militantibus,
Ductorem & Præsidem egit,
Verus Musarum Apollo.
In earum commodũ diligentiùs providit cuncta;
& ne in sicco Classes hærerent fundo,
fontibus illas liberalitatis alluebat.
Vela, remosq; tendi enixiùs curavit;
ut tenera Ingenia, in Latium,
& bonæ spei ad promontorium transveherentur.
Oratorium Novodvorscianum
pulcherrimâ donavit, & ornavit supellectili.
Romanis locupletavit Indulgentijs,
ut pietas & devotio Studentium magìs
Cœlo placeret.
sæpè negante Virium debilitate,
Scholastica visitabat limina,
omnem remissionem eliminando;
Vt Studiosis mentibus, vivacem
discendi insinuaret vigorem.
Placida fronte diligentes, in amorem
animabat Literarum.
Rugosa sufficiebat negligentibus ad pænam.
Altiùs evola penna si potes,
amaro lachrymarum imbre madida!

D Dilata

Dilatā verborum latifundia,
in sui Mecænatis elogia.
Hic enim Teminùs meritam, multùm æstimavit:
Gratiarum & Beneficiorum fluentis irrigavit,
dum vixit.
Date lachrymas in atramentum,
Hierosolymitani Alumni!
Quos OSLINSCIVS ut Provisor,
& Pater alebat.
Natent vestra lumina in rore flebili;
cùm pupilla, Phæbi Academici occidit.
Vobis MARTINVS, plusquàm Trimanus fuit,
qui indigentiæ vestræ, semper non defuit,
Mensam ferculis quotidiè instituendo.
ad Laureas, Honores, nemini viam præcludebat,
imò liberali dexterâ ultrò omnes traxerat,
ut sibi vivus, patentem Cœlorum fecisset Portā.
In commodum Studiosorum Contubernium
restaurari curavit,
quà foris, quà intûs fortiter stabilivit
Hierusalem.
Ipse Cœlestem Hierosolymam possessurus.
Beneficijs Ecclesiasticis, quibus præfuit,
benè facere consvevit.
Plùs in Beneficia expendit, quàm percepit.
Collegiatæ S. ANNÆ Ecclesiæ DECANVS,
illam structuram Magnificam, majoribus
decoramentis auxit.
Zielonecensis Curatus,
sedulam adhibuit curam:
Vt pulchro reviresceret Ecclesia decore.

Ipse

Ipſe in perpetuas vernaturus æternitates.
Proſovicenſi PRÆPOSITVRÆ
Non præfuit tantùm, ſed profuit.
Prodeſſe maximam Præpoſituram putavit.
Eccleſiæ illius tectum novis tegulis contexit,
velut MARTINVS pallio.
Totam Baſilicã non tantùm feneſtris luminoſam,
ſed vaſis argenteis ſplendidam fecit.
Majora audite ſæcula!
Gloriæ, & Honori,
Diviniſsimi
JOANNIS CANTIJ,
REGNI POLONIARVM PATRONI,
Univerſitatis Patriarchæ,
Baſilico opere, Baſilicam in Kety exſtruxit:
ut documenta pietatis, quâ ferebatur
in Sanctum, exhiberet.
In natali ſuo ſolo CANTIUS,
ut domeſticum haberet
à ſuis Cultoribus cultum;
primas adhibuit OSLINSCIVS curas.
Aliam munificentiæ profuſionem,
ab hominum abſcidit oculis;
ut Soli DEO faceret oculatam.
Inter hæc virtutum facinora,
Longa annorum ſerie,
Sed magis laborum congerie,
meritisq; nullô computandis calculô gravatur,
Vir omnibus numeris abſolutus.

Lecto aliquot per Menses affigitur,
in publicis tamen negotijs,
operosè mobilis OSLINSCIVS.
Decumbens, verus Reipublicæ Literariæ Stator.
Loquax de alijs operibus ejus fama,
mihi imponit silentium.
Grandis dolor Lacon est,
Disertior lachrymis, quàm verbis.
Plangite Musæ, in Cracio residentes Parnasso
P R O V I S O R E M:
Plorate MECÆNATEM Clientes:
Omnes Venerandum deflete PATREM.
Vos ipsæ æternitatis æmulæ Literæ,
in Academica Typographia, quarum vigilem
gessit curam,
testibus Chartis imprimite dolorem.
Si tamen lugere debetis istum,
Qui nil lugendum in vita fecit.
GEMMA MARTINVS,
Rorante gratiarum Cœlo natus;
Cœlo vixit, Cœlo reddi debuit.
Venerandam ætatem in exordio finit æstatis,
ut virescens virtutibûs, maturescat Cœlo.
Ab Apogæo Sole recedente,
OSLINSCIUS Coelum ascendit.
Princeps ipse Sidereus Phæbus,
cedere voluerit, veniente Hospite tanto.
Minuere Nostro vitæ dies Microcosmo cœpit;
ut nobis dolorem, Cœlis gaudium augeret.
Dominicus dies vivendi terminum
MARTINO posuit,

quate-

quatenus in Vinea CHRISTI Domini laborans,
ab opere vitæ temporalis cessaret,
æternùmq; viveret in Domino.
Ad Nuptias Immaculati Agni ut properaret,
Præcursor Domini, cum sua Festivitate,
Divinissimus IOANNES BAPTISTA,
illi accurrit.
Rectam MARTINO viam,
Viaticô & omni Spirituali medela munito,
ad Superos extensa manu indigitans,
omnem illi coram Numine Summo gratiam conciliat.
Morari adhuc in terris nobiscum potuit:
Nisi Florem hunc Virorum, Cælites exambirent,
ut in Paradisum æternæ vitæ transplantaretur;
ne amplius sævis infestaretur Aquilonibus.
Nimirum,
GEMMA OSLINSCIVS,
Virtutum & meritorum pretiô inæstimabilis:
ne diutiùs laborum, morborum, &
senectutis tempestatibus agitaretur:
felicissimæ æternitatis annulo inseritur.
GEMMA MARTINVS,
Commendabilis summô virtutum suarum pretiô,
sed non minus æstimatione Virorum,
suæ ultimæ voluntatis Præstitum.
Emines in alta judicij ejus bilance,
Perillustris & Reverendissime Domine,
D.M. ANDREA KRUPECKI
V. I. Doctor & Professor, Ecclesiarum Cathedralis Cracov. Canonice, Premykov. & in Niegardow Curate, Contubernij Jurisperitorum Provisor, Canonizationis B JOANNIS CANTIJ Procurator,

E Stu-

:dij Generalis Cracov. Procancellarie,
& Senior Pater Almæ Vniversitatis,
dulce Decus & Præsidium,
Summa Vavelli Gloria,
Sacræ Themidos Oraculum,
Omnium elegiorum Apex,
Facultatis Iuridicæ Corona,
Ejusdemq; Collegij Iuridici
Benefactor Munificentissime.
Summo affectu OSLINSCIVS,
Liliatum Tuum appretiavit animi Candorem.
A Te etiam inter pallidæ mortis præcisiones,
præscindi noluit.
Gemma ipse fuerat Literatorum inæstimabilis:
Ad Te pretiosissimum ternæ Vavelli Coronæ
Vnionē post fata transferri desideravit.
Novit Te exactissimum Academiæ PROCANCELLARIVM,
à Tuo Arbitrio, suos ultimæ voluntatis codicillos
pendere, & referri ad Te securum arbitrabatur.
Accedis proximè, valore & Animi candore non impar.
Perillustris Clarissime & Admodùm Reverende Domine,
D.M. MARTINE WALESZYNSKI,
Sacræ Theologiæ Professor, Collega Major, Ecclesiarum Collegiat:
S. FLORIANI & S. ANNÆ Canonice, S. MICHAELIS in Arce
Cracov. & Scarbimiriensis Custos &c.
Contubernij Iageloniani PROVISOR Dignissime.
Vidit in Te Doctor, mentis eburneæ candorem,
virtutum ac Sapientiæ venustatem, & gemmeum.
id est sibi similem appretiavit.
Fuerat ille olim Historiographus Petricianus,
& Controversæ Theologiæ Professor,
Te quoq; æquivalentem Successorem vidit & æstimavit.
Nec mirùm, eruditio enim applaudit eruditioni.
Gemma Aurum amat,

Ma-

Magnes Stellam ſequitur polarem,
Ita Gemma OSLINSCIVS Tibi adhærere voluit,
Vt illi valorem & pretium adderes.
Et ut totus in Te, poſt Fata ſpectaretur;
Proviſoratum & Doctoratum Tibi reliquit.
Gemma Doctorum fuerat,
Tuæ niveæ frontis & mentis Archivum,
Scilicet MARTINVS MARTINVM appetiit.
Gemmeum pretium accumulare volens,
Innocuas ſortes ſuas Tibi quoq; MATTHIÆ commiſit.
Clariſsime, Excellentiſsime ac Doctiſsime Domine.
M. MATTHIA ZIĘTKIEWICZ,
Philoſophiæ Doctor, ejuſdemq; Curſûs Vladislaviani Profeſſor,
Collega Major, Contubernij Jageloniani SENIOR.
Curator juſtorum ejus Parentalium meritò eſſe debuiſti:
qui non pridem Hieroſolymitani Contubernij SENIOR,
ſui Proviſoris nutibus ſeriò attendebas.
Te ille ex Prudentia, activitate, judicij maturitate, morum
comitate, & virtutum venuſtate multùm æſtimavit.
Ipſius quoq, æſtimatio, ut modò accreſcat,
Probitati Tuæ incumbit.
Nec Te prætermittere licet, quem maximè occupat dolor,
Noſtrum omnium tyrannus.
Excellentiſsime ac Doctiſsime Domine,
M. ADALBERTE ANDLIKIEWIC.
Philoſophiæ Doctor, in Claſsibus Novodvorſcianis Pòëſeos
Profeſſor, Scholæ DIVÆ ANNÆ Senior.
Teneris Tu ab Annis, defuncto Patri ita adhæſeras,
ut etiam moriens ſuo Te admoveret cordi.
Magna Felicitatis portio, à Tanto diligi Patre,
ſed diligi debueras, qui tuas egregias dotes,
virtutem, ſcientiam, pietatem & ſinceritatem erga ſe ſpectavit.
Quare qui Tanto addictus fueras Mecænati,
Clientali affectu, etiam poſt fata, ab ipſo
non disjungaris.

Concham vitæ mortalis deserit
GEMMA OSLINSCIUS,
Vos gemmei ultimæ voluntatis Præstites,
ut ex affectu Vestro, nosceretur inæstimabilis.
Intaminatæ Virtutis, & pietatis vestræ,
pientissimîs suspirijs valorem & pretiũ illi addite.
Vt pretiosa Mors sit Illius,
in conspectu ALTISSIMI.
Illius erit, *ut riguô in Vos depluant Superi aurô,*
Gemmeosq; diu efficiant successus,
Supremum exorare Numen.
Cui modò cuncti non desinant precari,
eundemq; precibus comitari.
MARTINUM
JESU BONE!
Beatæ Æternitatis,
junge Coronæ,
ut in gremio Sanctorum,
æterno splendeat lumine
GEMMA.



Permissu Magnifici Domini
RECTORIS.